

capax eliciendi actus meritorios, filius Dei adoptivus, et haeres beatitudinis efficitur. Haec dicitur *prima*, quando homo per eam ex injusto fit formaliter justus, ex inimico amicus, ut si haeres secundum spem vitae aeternae: *secunda* vocatur, quando homo justus in eadem crescit, ac magis magisque justificatur; adeoque gratia prima nullam praesupponit in subjecto gratiam justificantem, supponit vero eam gratia secunda. Porro *gratia sacramentalis* est ipsa gratia sanctificans, habens annexum sibi speciale jus ex Dei ordinatione ad certas gratias actuales assequendo fini singulis Sacramentis proprio idoneas.

§. II. *Principia generalia de Subjecto, et effectu Sacramentorum.*

97. *Principium I. Ad Sacramentum quodcumque (excepta sola Eucharistia) valide suscipiendum requiritur in adulto 1. ut recipiens non habeat voluntatem contrariam susceptioni: 2. requiritur, ut habeat intentionem positivam suscipiendi Sacramentum vel actualem, vel virtutem, vel saltem habitualement, imo juxta Laym. l. c. num. 4. cum pluribus, sufficit intentio interpretativa saltem in aliquibus Sacramentis. Prob. 1. pars ex c. Majores de Bapt. ubi Innoc. III. ait: Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti. Prob. etiam secunda pars: Quia Christus adultis rationis usum habentibus non vult largiri gratiam et justitiam, nisi volentibus. Hinc juxta C. Trid. sess. 6. c. 7. justificatio dicitur: Sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum. Eadem voluntas Christi nolentis, ut adultus per aliquod Sacramentum sanctificetur invitus, vel mere negative se habens, desumitur ex c. 77. de Consec. dist. 4., item ex C. Carthag. III. C. 34. et ex Rit. Rom. Pii V. de Bapt. adult., ubi prohibetur baptizari, qui aliquando habuit usum rationis, et nullam tunc ostendit voluntatem suscipiendi Baptismi. Confirm. ex s. Th. qui 3. p. q. 68. a. 7. ad 2. ait: Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus: si tamen hoc non constaret, esset dicendum: si non es baptizatus, ego te baptizo. Dixi 1. excepta Eucharistia; hoc enim est Sacramentum permanentis, et subsistit etiam extra usum; ergo tantum requirit intentionem conficientis, sive ministri. Dixi 2. requiri intentionem positivam etc. Recipiens enim non se habet pure passive sive coacte sed voluntarie; ergo requiritur consensus recipientis Sacramentum. Quae autem intentio determinate sufficiat ad valide suscipienda singula Sacramenta, de singulis infra dicitur.*

99. *Adverte: Baptismus ad valorem reliquorum Sacramentorum absolute praerequiritur: quia Sacramenta a Christo sunt instituta pro his, qui sunt in Ecclesia; atqui non baptizati non sunt in Ecclesia: ergo. Confirm. 1. ex Flor. ubi Baptismus dicitur vitae spiritualis janua. Confirm. 2. ex c. 2. L. 4. tit. 4. de cogn. Spir. in 6. ubi Baptismus vocatur reliquorum Sacramentorum fundamentum et janua.*

100. *Princ. II. Ad licite et fructuose suscipienda Sacramenta mortuorum, Baptismus nempe et Poenitentiam, praeter voluntatem suscipiendi illa, requiritur actus fidei, spei, et doloris de peccatis, qui saltem sit attritio. 2. Ad recipienda licite et fructuose, cum effectu gratiae, Sacramenta vivorum praeter intentionem positivam praerequiritur status gratiae. Ratio primi est: quia de facto nulli datur venia peccatorum sine retractatione, aut dolore supernaturali de peccato a se commisso; item sine fide non potest voluntas erigi ad spem firmam, nec ad timorem supernaturalem, consequenter nec ad dolorem supernaturalem: ergo. Confirm. ex Trid. sess. 14. c. 1. ubi disserte habetur: Fuit quidem Poenitentia universis hominibus,*

qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent. Id quod probat ex Scrip. Ezech. 18. 30. Convertimini, et agite poenitentiam. Item ex c. 13. Lucae v. 3. Nisi poenitentiam egeritis etc.; denique ex cap. 2. Act. Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. De hac dispositione, ait Trid. sess. 6. c. 6., scriptum est Heb. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit. Ecce fidem; et Marci 2. Confide fili; remittuntur tibi peccata tua. Ecce spem. Ibidem clare describit poenitentiam, quam agi oportet ante Baptismus. Ratio secundi est: quia Sacramenta vivorum primario instituta sunt ad augendam gratiam sanctificantem: ergo per se loquendo jam praesupponunt eam in subjecto praesentem. Praeterea vide infra n. 104.

101. *Princip. IV. Sacramenta mortuorum non ponentibus obicem conferunt per se loquendo gratiam primam Sacramentalem, de qua vide n. 94.; Sacramenta vivorum per se gratiam secundam ex opere operato, et quidem aequaliter, si aequaliter dispositi sint suscipientes. Praeter hunc effectum Baptismus, Confirmatio et Ordo characterem imprimunt, ut dictum fuit n. 3. Prob. primum ex Trid. sess. 7. Can. 6. Si quis dixerit, Sacramenta N. L. non conferre gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae, et justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit: et seq. Can. 7. Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, anathema sit.*

102. *Probatur secundum. Illud Sacramenta per se conferunt, ad quod conferendum per se sunt instituta; atqui Sacramenta mortuorum per se sunt instituta ad conferendam gratiam primam; quia per se sunt instituta pro carentibus vita supernaturali gratiae. Sacramenta autem vivorum per se sunt instituta ad conferendam gratiam secundam, quia pro viventibus vita supernaturali gratiae: ergo. Confirm. Trid. sess. 7. in Decr. de Sacram. ait: Per quae omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel omissa reparatur. Ergo non omnia eodem modo gratiam primam conferunt. Quomodo per accidens Sacramenta mortuorum subinde gratiam secundam, et Sacramenta vivorum aliquando gratiam primam conferant, dicitur de singulis Sacramentis.*

103. *Prob. etiam tertium ex Trid. sess. 7. can. 8. Si quis dixerit, per ipsa N. L. Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit. Gratia dicitur conferri ex opere operato, quando datur vi ipsius operis Sacramentalis secundum institutionem Christi facti et suscepti, et non vi meriti, aut dispositionis illius, qui confert vel suscipit Sacramentum. Ex opere autem operantis confertur gratia, quando haec datur vi meriti, devotionis et dispositionis in Ministro, vel suscipiente. Hanc efficaciam Sacramentorum ex virtute operis operati indicat S. Paulus ad Tit. 3. Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos: Ecce opus operantis; sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis: Ecce opus operatum. Audi S. Aug. L. 4. contra Crescon. c. 16. Non eorum meritis, a quibus ministratur, constat Baptismus, sed propria sanctitate et virtute propter eum, a quo institutus est.*

104. *Ex quibus recte infertur quartum, quod Sacramenta ejusdem rationis semper aequaliter conferant gratiam subjectis aequaliter dispositis.*

Uterior ratio est, quia causae ejusdem speciei habent aequalem effectum, quando est aequalis dispositio subjecti; atqui Sacramenta ejusdem speciei, v. g. duo Baptismi sunt causae ejusdem speciei, et dispositio subjectorum supponitur esse aequalis: ergo tunc producunt aequalem effectum: inaequalem vero, si subjecta sint inaequaliter disposita; ut patet ex *Trid.* sess. 6. c. 7. ubi de justificatione per Baptismum innuit, quod justitiam unusquisque in se recipiat, *secundum propriam cujusque dispositionem, et cooperationem.* Declarat id *S. Thom.* 3 p. quaest. 69. a. 8. in corp. *Per se quidem Baptismus est institutus ad regenerandum homines in spiritualem vitam; et hunc effectum aequaliter facit in omnibus, qui aequaliter se habent ad Baptismum. Unde quia omnes pueri aequaliter se habent ad Baptismum... omnes aequalem effectum participant in Baptismo. Adulti vero, qui per propriam fidem ad Baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad Baptismum: quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad Baptismum accedunt, et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt; sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum de se est, aequaliter ad omnes suam calorem effundat.* Rationes congruentiae addit *Suar.* hic D. 8. Sect. 5. Concl. 3. tum quia ad suavem Dei providentiam et sapientiam ac justissimam distributionem pertinet, ut magis disposito major gratia conferatur; tum ut homines excitentur ad recipienda Sacramenta cum majori devotione et reverentia saltem propter spem majoris fructus.

105. *Neque inferas:* ergo, si datur major gratia propter meliorem dispositionem, ea datur ex opere operantis, non vi ipsius Sacramenti. R. enim: N. illatum, quia dispositio subjecti per se non auget virtutem causae agentis, sed eam tantum determinat, ut fortius agat, ut patet in eo, qui propius accedit ad ignem; hinc melior dispositio non est causa meritoria, sed conditio quaedam in ordine ad majorem gratiam subjecto conferendam ex opere operato. Si tamen major dispositio ponatur ab homine justo, praeter gratiam Sacramentalem etiam datur major gratia ex opere operantis, et per modum praemii, quia hic est capax meriti de condigno, et praemii. Haec fusus in *Theol. Scholastica;* quo etiam remittimus quaestionem, an Sacramenta causent gratiam instrumentaliter physice, an vero moraliter.

§. III. Resolvuntur casus.

CASUS I.

Elpidius Judaeus nuper baptizatus, sed paulo post ob notoriam Clerici percussionem excommunicatus, ad evitandam infamiam alio confugit, ubi porrecto testimonio baptismali, novos patronos sibi conciliaturus ab Episcopo petit Sacramentum Confirmationis altum silens de excommunicatione.

106. Q. An Elpidius licite susceperit Sacramentum Confirmationis? R. Negative: ad hoc enim, ut quis licite suscipiat Sacramentum post Baptismum, praeter superius dicta requiritur, ut sit liber ab omni excommunicatione, et interdicto personali, et respectu Ordinum, ac primae Tonsurae, ab omni irregularitate, propter gravem prohibitionem Ecclesiae positam ex fine reverentiae erga res divinas, et Sacramenta; adeoque Elpidius per se loquendo commisit grave sacrilegium; nisi eum excuset inculpabilis ignorantia. *La Croix* l. 6. p. 1. n. 192. *Plura de Censuris.*

107. Eodem modo committit grave peccatum sacrilegii, qui aliquod Sacramentum vivorum suscipit in peccato mortali cognito; quia talis gravem irreverentiam Sacramento, et injuriam Christo infert, contemnendo

saltem virtualiter, et impediendo gratiam Sacramentalem, quam Christus per Sacramentum offert, et vult animae impertiri. E contra suscipiens Sacramentum in peccato veniali cognito, veniale peccatum committit, nisi prius dolorem eliciat: quia saltem est levis irreverentia.

108. Ad validam quidem susceptionem Sacramentorum non est absolute necessaria attentio praeter intentionem supra requisitam, ad licitam vero ea requiritur, ita ut voluntarie distractus saltem venialiter peccet; debita enim Sacramento reverentia devotionem quamdam actualem exigit, quae quanto major erit, tanto uberius fructus percipitur. *Gobat* T. 1. de Sacr. in gen. cum. *Rhodes* ait, devotionem illam consistere in bono aliquo motu voluntatis, qui sub veniali saltem excludit voluntariam ejusmodi distractionem: vere sancta sancte sunt tractanda: ergo etiam sancte suscipienda.

CASUS II.

Eleazar Judaeus propter homicidium conjectus in carcerem petit et obtinet Baptismum: postea damnatus ad rotam in loco supplicii protestatur, se esse adhuc Judaeum, eo quod Baptismum tantum susceperit ex metu mortis hac sub conditione: si liber dimittendus sim, valeat; si vero ad mortem damnandus, non valebit Baptismus.

109. Q. I. An invalidus fuerit hic Baptismus ex metu mortis susceptus? R. Ob metum praecise non fuit invalidus, quia metus non tollit voluntarium simpliciter. *Confirm.* ex c. *Majores* 3. de Bapt. ubi §. *item quaeritur:* diserte ita habetur: *Is, qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut et is, qui fecte h. e. cum obice ad Baptismum accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum etc.* Secus, si plane invitatus et coactus susciperet Sacramentum. Similiter loquere de aliis Sacramentis, excepto Matrimonio, quod ex speciali dispositione juris nullum est, si ex metu gravi injuste incusso fuerit contractum.

110. Q. II. An Sacramentum valide suscipiatur sub conditione de futuro? R. *Negative,* vide dicta n. 65. et seq. Sicut enim conferens Sacramentum sub conditione de futuro vult, ut tunc sit Sacramentum, quando erit impleta conditio; ita suscipiens sub conditione de futuro pariter est comparatus animo ac voluntate; ergo contra utrumque pugnant eadem rationes, *Gobat* l. c. n. 240. Hinc si Eleazar ante, vel sub ipso Baptismo conditionem de futuro adjecerit, ille fuit invalidus, secus si post voluntarie susceptum.

111. Ad resolvendos alios casus huc pertinentes observa cum *Gobat* l. c. n. 246.: ab adulto invalide suscipitur Sacramentum 1. qui habuit voluntatem non recipiendi, eamque non retractavit; 2. qui nulla ratione illud unquam voluit suscipere; 3. qui mere materialiter recipit, v. g. qui sumit Eucharistiam, vel penitus ignorans esse hostiam consecratam, vel edens species Sacramentales tantum ad famem sedandam.

§. IV. De Sacramentalibus.

112. Q. I. Quid sint Sacramentalia? R. Sunt caeremoniae, sive ritus externi ab Ecclesia ad cultum Dei, et praecipue ad decentem Sacramentorum administrationem instituti; magis proprie Sacramentalia sunt illae caeremoniae, quas in Sacramentorum administratione, vel sacrificii oblatione Ecclesia observat, praeter eas quae sunt de essentia sacrificii, cujusmodi sunt in Baptismo unctio, exorcismus etc. Reliquae caeremoniae sacrae, quae adhibentur extra administrationem Sacramentorum, latius di-

cuntur Sacramentalia. *Suar.* in P. 3. D. 15. q. 65. Sect. 1. Horum sex solent numerari comprehensa hoc versu: *Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens*: quibus significatur. 1. *Oratio* Fidelium, praesertim *Dominica*. 2. *Aspersio Aquae Benedictae*. 3. *Manducatio*, aut alius pius usus rei benedictae. 4. *Confessio generalis*, Confiteor Deo Omnipotenti, B. M. S. V., aut publica, quae olim erat in usu, qualis etiam hodie post conciones a populo et concionatore solet recitari. 5. *Largitio eleemosynae*. 6. *Benedictiones variae*, v. g. aquae, vini, cereorum, vestium, virginum, Abbatum. Quod autem Ecclesia habeat potestatem instituendi Sacramentalia, constat ex perpetua praxi. Colligitur aperte ex *Trid.* sess. 21. c. 2. *Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suspicientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire iudicaret.* Hinc etiam graviter obligat ministros ad observandos ritus, ut dictum est n. 86.

113. De Sacramentalibus vide *Bellarmin.* L. 2. de Sacram. in gen. c. 29., item L. 3. de cultu SS. c. 7. ubi de usu aquae benedictae agit; antiquum ordinem Romanum editum a *Mabillonio*: de pane benedicto sive Eulogiis. *S. Aug.* lib. 2. de peccatorum meritis c. 26. Porro rituum externorum usus confirmatur exemplo Christi, qui *Joan.* 20. v. 22. *insufflavit*, et dixit Apostolis: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis ... Marci* 7. v. 33. *misit digitos suos in auriculas ejus, et exspuens tetigit linguam ejus, et suspiciens in coelum ingemuit etc.*

114. Q. II. In quem finem utitur Ecclesia Sacramentalibus, et variis ritibus externis? R. Ut supra n. 86. Aurea addo verba *Trid.* sess. 22. c. 5. *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam ... instituit: caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes Fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Ergo sic ait *Suar.* l. c. omnes hae caeremoniae, hac intentione instituuntur et observantur ab Ecclesia, ut ipse Sacramentorum, vel Sacrificii usus majori cum reverentia, ac devotione fiat, ut juvent intellectus imbecillitatem, instruant rudes, moveant voluntatem, revocent in memoriam mysteria redemptionis, excitent fidem, et nutriant reverentiam erga sancta mysteria, eorumque dignitatem instillent. Ergo eorum institutio sancta, et usus fidelibus est utilissimus. Caveant proinde Ministri Ecclesiae, ne neglectim ac contemptim ritus et caeremonias peragendo piam Matrem suo fine defraudent, Fideles aequae ac infideles scandalizent, et sancta fidei mysteria ludibrio exponant.

115. Q. III. An Sacramentalia habeant effectum aliquem, et quidem ex opere operato? R. 1. Illa, quae sunt instituta ad puram significationem mysterii, vel ad ornatum, vel ad decentiorem administrationem aut suspensionem Sacramentorum, per se non producunt specialem effectum; unde per illa principaliter protestamur fidem nostram, et exercitia Religionis decenter agimus.

116. R. 2. Effectus, qui solent attribui Sacramentalibus, sunt potissimum sequentes: 1. Aliquod auxilium, vel bonus motus gratiae. 2. Remissio culpae saltem venialis. 3. Remissio alicujus poenae temporalis, cujus reatus manere solet remissa culpa. 4. Daemonis expulsio, vel cohibitio, ne laedat per se, vel per maleficia. 5. Aliquod commodum temporale,

ut sanitas vel aliquid hujusmodi. Quem effectum particularem hoc, vel illud Sacramentale specialiter possit producere, colligendum est ex singulorum institutione, ex modo et orationibus Ecclesiae, quibus conficiuntur; non enim singula instituta sunt ad eundem finem singularem, quamvis omnia tendant ad cultum divinum, *Suar.* in 3. P. D. 15. q. 65. sect. 4.

117. R. 3. Sacramentalia non conferunt gratiam ex opere operato; quia talis efficacia tantum propria est Sacramentis. *Confirm.* Sicut Ecclesia non potest instituere Sacramenta, ita Sacramentalibus, quae ab ipsa instituuntur, non potest virtutem tribuere conferendi gratiam ex opere operato. Itaque Sacramentalia ex Ecclesiae precibus *per modum impetrationis* specialem vim obtinent ad hunc vel illum effectum, ad quem in benedictione specialiter ordinantur per orationem Ecclesiae; dum scil. Fideles pie illa adhibent, precibus et suffragiis Ecclesiae adjuti facilius gratias actuales a Deo impetrant, doloris motum concipiunt, vel a malo liberantur. *Probat*ur haec vis ex ipsis Ecclesiae precibus, quae apud Deum absque dubio magnam vim habent; diligit enim eam tanquam sponsam. Hic tamen effectus non est infallibilis, quia non fundatur in speciali aliqua promissione. Ita *Suar.* l. c.

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTIS NOVAE LEGIS IN SPECIE.

CAPUT I. De Baptismo.

§. I. Quaestiones praeviae.

118. Q. I. Quid sit baptismus in genere, et quotuplex? R. 1. Baptismus a graeco βαπτίζω *mergo, intingo in aqua, lavo, abluo*, significat immersionem, vel intinctionem, vel ablutionem, ut constat ex *Marci* 7. v. 4. et *Luc.* 11. v. 38. Hic sumitur pro ablutione pertinente ad Religionem, estque triplex. 1. Baptismus *Sanguinis*, scil. Martyrium; qui est permissio mortis, vel cruciatus lethalis pro fide Christi; unde requiritur ad Martyrium 1. vel mors ipsa, vel saltem cruciatus illativus mortis: exemplum habe in S. Joanne Evang. 2. Permissio ob fidem Christi. 3. Illatio mortis vel cruciatus in odium fidei, quod etiam tunc censetur fieri, quando mors propter opus, vel defensionem alicujus virtutis Christianae infertur, nam *omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quaedam protestationes fidei*, ut ait S. Th. 2. 2. q. 124. a. 5. Exemplum habe in *S. Jo. Bapt.* Porro Martyrium in adultis requirit voluntariam acceptionem mortis (sufficit tamen voluntas habitualiter perseverans) et quidem ex motivo supernaturali; alioquin nec esset in adulto confessio fidei, nec actus virtutis Christianae: Martyr autem significat testem veritatis fidei. Juxta Communem, Martyrium in adultis remittit omnem culpam et poenam. Hinc c. *Cum Marthae*, §. fin. de celebr. Miss. dicitur: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Praeterea ad justificationem in Martyrio multi cum *S. Aug.*, *Bernardo*, *S. Th.* 3. P. q. 66. a. 12. ad 2., *s. Bonav.* et aliis requirunt contritionem sive actum charitatis. Alii vero cum *Cajet.*, *Soto*, *Bellarmin.*, *Suar.*, *Bonac.* dicunt sufficere attritionem, sicut in Baptismo adulti: juxta hos tamen Martyrium non justificat ex opere operato, ut Sacramenta, sed ex quodam privilegio, vel imitatione passionis Christi. Vide *La Croix* L. 6. p. 1. n. 238. Infantes autem per solum Martyrium salvari, docet communis Catholicorum: sic Ecclesia de parvulis ab Herode occisis orat: *Deus, cujus ... praeconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo*